

CAPVT I.

MONVMENTA HISTORICA LIBERAE REI PVBLICAE.

Scipionum elogia.

1 [L. Cornelij]o Cn. f. Scipio

||||| ! ||||| ! ||||| ! ||||| ! ||||| ! ||||| !
||||| ! ||||| ! ||||| ! ||||| ! ||||| ! ||||| !¹

Cornelius Lucius Scipio Barbatus,
Gnaivod patre | prognatus, fortis vir sapiensque,
quoius forma virtutei parisuma | fuit;
consol, censor, aidilis quei fuit apud vos;
5 Taurasia Cisauna | Samnio cepit,
subigit omne Loucanam oipsides abdoucit.

Romae extra portam Capenam a sinistra viae Appiae (sed intra moenia urbis hodierna), quo loco monumentum Scipionum fuisse indicant Cic. Tusc. 1, 7, 45, Liv. 58, 56, Hieronymus chr. a. 14849 (cf. Mo. I p. 11), sarcophagus ex lapide Albano (peperino) rep. a. 1780 et in museum Vaticanum translatus (I 29. 30. VI 1284,5; Ritschl tab. XXXVII). Nomen defuncti (v. 1) scriptum est in sarcophagi operculo litteris rubro colore pictis, non incisis, carmen legitur in antica sarcophagi litteris incisis. Principium carminis periit nescio quo tempore excisum. Versus sunt Saturnii, in ipso lapide lineolis transversis discreti (nisi quod deest lineola post primum Saturnium); ad artis normam constituere eos conati sunt Ritschl Priscae Lat. mon. enarr. p. 52 et Buecheler ind. schol. Bonn. 1876 aest. p. 7. — L. Cornelius Cn. f. Scipio (Barbati nomen legitur tantum in hoc carmine et N. 5) consul fuit a. 456, censor videtur fuisse a. 464 (fast. Cap.). De rebus ab eo in consulatu gestis diversa ab hoc elogio narrat Livius 40, 12, 5. Taurasiae in Samnio mentio est ap. Liv. 40, 58, Cisauna ignota. Samnio videtur esse casus sextus. Omnem Loucanam, intellege terram (Woelflin revue de philol. 1890 p. 122). — Carmen hoc cum multo minus vetustas declinationum formas habere videatur quam carmen incisum in sarcophago filii huius Barbati N. 5, litteris quoque incisum sit minus rudibus, Ritschelius mus. Rhen. 1854 p. 9 seq. = opusc. 4 p. 222 seq. inde collegit, hoc carmen non statim post mortem Barbati, sed post filii demum mortem compositum esse. (Utrumque carmen post Hannibalicum demum bellum factum et lapidi incisum esse coniecit Woelflin l. c. p. 122). — 1) Erasi sunt versiculos primus et alterius duodecim fere litterae (in huius principio ces. litteras agnovit Huelsen ap. Woelflin l. c.).